



**S**tephanus nepos Ludouici Cæsaris, & filius fuit Stephani ducis Bavarix, qui Landshuotæ suam regiã habuit. Is inter fratres bellicosissimus cum ijs paternam hæreditatẽ ex æquo diuisit, atq; sibi Ingolstadium cum circumiacenti ditione retinuit. Nam alter fratrum Fridericus Landshutæ, & Ioannes tertius Monachij habitauit. Erat Stephanus fortitudine corporis & animi egregius princeps. Itaq; Franciscus Cararia Patauij præses cum Florentij populi oratoribus in Boiariam ad Steffanum peruenit, atq; eundem auri montes pollicendo aduersus Galeatium Mediolanensem concitauit. Vnde Steffanus cum fratre Friderico arma in

Italiam mouet, & magno animo proximẽ Mediolanũ, Galeatio se in arce continente, castra locat. Cum autem à Florentinis promissis stipendijs fraudaretur, cum Galeatio nouam affinitatem cõtrahit, & Elizabetham neptem illius Ernesto ex fratre nepoti despondit. Cumq; ultrò citroq; sermo protraheret, atq; mentio de popularium fide incidisset, Steffanus asseruit, nullum Boium esse, cui non audeat uitam suam credere, atq; in eius sinu solus & inermis dormire. cuius rei Galeatius & eius purpurati plurimùm admirati sunt. Hisce prosperè confectis à Carolo sexto Gallorum rege contra Anglos euocatus in Galliam proficiscitur. Auxiliariis ibi copijs Anglorum profligatis, Franci Boiorum, qui tum in Germania potentissimi uidebantur, opem & affinitatem necessariam aduersus hostes rati, regi suo Elizabetham filiam Steffani despondent, Anno 1387.